

Planetarum sui corporis centro semper per illam incedit. Ab aliis aliter appellatur.

§. 9. Ut verò intelligatur illud, Solem semper esse in Ecliptica sciendum tergeminum esse ejusdem motum. Primus est revolutio ab eodem puncto ad idem ferè punctum Horizontis ejusdem, si cum vulgo diem numeremus, aut Meridiani ejusdem si cum Astronomis. Ex hoc motu nascitur dies secundi mobilis, qui diem primi mobilis quatuor proximè minutis excedit. Quod Ricciolus se non semel incredibili tolerantia expertum esse dicit. Hujus autem inæqualitatis causa est motus tum in longum tum in latum. Quà hunc modò ad verticem nostrum accedit, modò recedit, adeoque sensu is notabilis est, non modò ex altitudine meridiana sed & umbris gnomonum in meridie ac punctis Horizontis orientalibus & occidentalibus. Tertius motus in longitudinem per mediam diem versus Orientem, manifestus adeò non est, innotuit tamen Astronomis à diverso ejus cum reliquis stellis fixis & erraticis positu.

§. 10. Ut ut verò Physicè ita varios motus uni corpori non tribuamus sed spiralem assignemus; quia verò spiræ ad demonstrationes Mathematicas sunt ineptæ, cum ad eas nullos habeamus Sinus, Tangentes aut secantes, hinc motus iste in simplices resolutus est, per quos apparentias salvant Artifices, diversi diversâ hypothesi. Alii enim primum mobile assumunt, quod violento motu circumgyret super Polis Æqv. Sidera, hæc verò motu proprio, qui super polis fit Eclipticæ à Polis Æqv. per 230-30. /, quanta est maxima Solis declinatio, distantibus, contranitantur, non secus quam musca in rota occidentem versus circumacta, ad orientem lento suo passu tendere potest. Alii per terram hoc excusant, vertigine supra centrum proprium 24.H. circumvolutam, ut adeò appareat tantum ☉ moveri, quemadmodum navigantes non se sed littora recedere vident. Quod dogma præter Philolaum & Copernicum recentiores quoq; Bullialdus, Lansbergus, Origanus Argolus & passim per Germ. Mathematici festantur.

§. 11. Ex